



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1657**

§. 180. Nullam causam invenio in homine iusto. v. 14.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45549**

§. 179. *Et ecce, ego coram vobis interrogans. v. 14.*

Iam olim clam exploratum per submissos, an aliquid ageret doce-  
retve contra Reip. quietem & pacē, etiam publice hodie, & vobis quidem  
præsentibus examinavi. Quid amplius possum Iudex justus præstare?

**R**es deploranda quidem est videre Iudicem vivorum & mortuorum  
ita contemptibiliter coram vili homine stare, & coram subditis,  
pro quorum salute mori desiderabat, præsentari ad audiendum, an ha-  
beant contra ipsum accusationes, & produci in eius interitum quævis et-  
iam falsa, attamen hoc nobis valde proficuum fuit, patuit eo modo, non  
pro se, sed pro aliis mori Christum Dominum, qui sic privatim tentatus,  
exploratusque, & publice examinatus, semper innocens, & segregatus à  
peccatoribus est inventus. Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ.

§. 180. *Nullam causam invenio in homine iusto. v. 14.*

Emphasim habet quod signanter dicit in homine iusto, non invenio  
causam: solius enim Christi est omnis criminis & peccati expertem esse;  
aliorum autem hominum nemo mundus à sorde, ne quidem infans diei  
unius super terram. Magnum igitur innocentiae Christi testimonium est;  
quod ipse Iudex, qui ipsum postea Crucifixit, non semel, sed sæpius, & in  
ipso iudicio innocentem proclamavit hunc Iesum, quod vel solum nobis  
satis est contra calumnias Iudæorum & Paganorum.

**O** Pilate, non invenire te causam mortis in Christo, gaudeo & exulto.  
Iam video esse hominem, qui pro aliis satisfacere possit Deo. Gratias  
tibi ago, quod eum tam candide demonstrasti esse innoxium, hoc est fun-  
damentum nostræ religionis.

§. 181. *Ex his, in quibus eam accusatis. v. 14.*

Hic non solum pro Christo stat Pilatus; sed etiam adversarios ejus  
ostendit mendaces, quos manifestè confundit.

**O** Miranda est, alienigena innocentiae tuæ Domine defensor erat, &  
Hebræi ipsi, ex quibus secundum carnem natus es, morti te tradere  
satagebant: verum longe ante prædixeras, quod *inimici hominis domestici eius.*  
Si tu ergo Dominus meus, & Deus meus ita odio habitus es, à populo tuo;  
quorsum ego indigne feram si à proprio sanguine persecutionem patiar!  
sed respice, ô Domine, in firmitatem meam; & tuo exemplo me conforta,  
ut in injuria, quam proximi mihi inferunt, solatium habeam, per hanc tibi  
illa-